

„ data opera intra Arcã conclusas secum detulisse ex dictis
„ constat; quod & de cæteris hisce similibus intelligi velim,
„ de quibus etsi facer Textus sileat, ex unico tamen hujus-
„ modi exemplo, quid de reliquis actum sit, cognoscimus.
Eandem sententiam repetit pluribus ac confirmat *lib. 3. c. 2. p. 180.* his inter alia verbis, quæ, cum in cujusvis manu liber
haud sit, transcribere itidem haud pigrabimur: *Certum est neque semina immediatè post diluuium, neque vites, neque fructiferarum arborum radices Noam obtinere potuisse; cum omnia profundi & limosi sedimenti aggregatione jam sepulta squalerent, neque etiamsi semina jam in gramen assurgerent, ad multos tamen menses maturescere poterant; & consequenter fame enecari eos necesse erat, si aliunde copiosam frumenti aut racemorum provisionem paratam non habuissent. Ego itaque ex hujusmodi actionibus concludo, Noëmum, non, uti nonnulli interpretes hujus loci imperitè exponunt ex emergentibus derepente post diluuium germinibus, segetum & recentum uvarum racemis & agros consitos coluisse & vineas plantare cœpisse: Hoc enim falsum esse ex dictis paulò ante rationibus luculenter patuit: sequeretur enim segetes statim post diluuium non tantum ex seminio frumentaceo, aut vitibus infrà feces limosas relictis statim restoruisse; sed & jam ad messem quoque colligendam, vindemiamque instituendam opportunas aptasque fuisse, quod & climati montis Ararat, præsertim verò tempore prorsus contrarium esse quis non videt? Hactenus Kircherus. Cujus conjecturæ dicam an planissimæ adfertioni uti vel per superius allatam rationem subscribere non possumus, ita quid ejus rationibus insit ponderis ac roboris breviter videbimus. Quod verò primum ac potissimum urget de limi in diluuiio coacervatione & fruticum hinc ac frugum omnium oppressione, id de omnibus promiscuè editissimis etiam, qualis ille fuit in quo arca confedit, (ut paulò post dicetur) locis perperam mihi videtur conjiciendum asseri. Si enim quod ipse vult, nihil naturæ novum aut inas-*
fuctum